

rit, pro certo a nobis tenendum est, eas gravissimas fuisse. Si quid tamen ex concertationibus, quæ agitatae sunt in congregationibus concilii Tridentini, colligere possumus, hæc fuisse videntur: 1. periculum effusionis in magna præserim populi frequentia; 2. nausea et repugnantia nonnullorum in labiis admoventis ad eundem vel calicem, vel calicem, scyphuleculum aut aliud quodvis instrumentum sutorium; 3. maxima difficultas in asservanda specie vini præsertim in regionibus præsertim calidioribus aut nimis frigidis; 4. ejusdem vini inopia in multis locis, ad quæ non facilis est accessus, ut illic inferri possit; 5. multorum naturalis constitutio, qui a vino summopere abhorrent, quique abstemii vocantur (1); 6. spontanea fidelium desuetudo ab sumptione calicis sec. XII et XIII. introducta; 7. hæreticorum protervia, qui temerario ansu Ecclesiæ succensere non verentur, perinde ac si ipsa leges a Christo datas aut ignoraverit, aut contempserit.

Ad 1. *prob. Dist.* Simul tamen non concurrentibus iisdem causis, C. secus, N. Ceterum etsi laudanda sit pia antiqua consuetudo, non ideo reprobanda nova est disciplina. Nunquam Ecclesia positivo aliquo decreto vetuit calicis usum, nisi cum sec. XV. inquieti ac turbulenti ingenii homines eam accusare cœperunt de gravissimo errore ac divini præcepti neglectu (2).

Ad 2. *Dist.* Ab institutione et exemplo Christi, ac traditione apostolorum, disciplinari tamen et libera, atque ab Ecclesiæ auctoritate moderanda, C. præceptiva, ac necessaria ad salutem, N. Aliud enim est institutio et exemplum Christi, aliud vero mandatum; unum enim sine altero optime consistere potest, alioquin alia plura præstare deberemus, quæ neque adversarii ipsi contendunt, ut sæpe adnotavimus.

Ad 3. *Neg.* Totum enim ac integrum habetur sacramentum sub unaquaque specie.

Ad 4. *Dist.* Calix consecrandus, C. calix distribuendus, N. ut constat ex dictis.

Ad 5. *Dist.* In sacrificio, C. in sacramento, *subd.* Quæ tamen separatio satis significatur in alterutra specie, prout superius animadvertimus, C. nullo modo significatur, N. Etenim etiam immersio, qua olim administrabatur baptismus expressus representat dominicam sepulturam, quam infusio, quin tamen censeatur ab adversariis ipsis necessaria, aut præcepta. Id ipsum dicatur de convivio, quod integrum ac plenum est, in alterutra specie, in qua totus Christus sumendus exhibetur, quamvis non adeo expresse cibus et potus seorsim represententur. Alia præterea est ratio convivii communis, alia convivii spiritualis, illud enim sine potu mutilum est, non item vero convivium sacramentale, in quo sub unaquaque specie cibus et potus tribuuntur.

(1) Ipse Wegscheider § 180. A. not. (b) scribit: «Quam fuerint, qui communionem calicis valetudini infestam esse demonstrarent, videndum est, ut pericula inde metuenda præcaveantur et avertantur, v. c. usus calicis, a quo per fistulam vinum sugitur, in nonnullis ecclesiis conservatus, abrogetur.»

(2) Id abunde constat ex historia Callixtinorum. Cf. Aneam Sylvium in *Hist. Bohemorum*, cap. 53.

Ad 6. *Dist.* Privantur fideles per subtractionem calicis aliqua gratia necessaria ad salutem et ex opere operato, N. Quæ haberi posset ex opere operantis, cui suppleri potest ferventiori affectu. *Tr.* Declarat enim concilium Trid. sess. XXI cap. III. *fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari: qui unam speciem solum accipiunt.* Transmisimus autem alterum distinctionis membrum, eo quod theologi inter se disceptent circa fructum accidentalem, qui proveniat ex alterius speciei sumptione, quem alii contendunt inde erui, alii negant (1).

Ad 7. *Dist.* Ita ut possint longe solidiorem consolationem sibi comparare ex obedientiæ merito, C. secus, *Tr.* In his enim quid magis conducat ad fidelium utilitatem et solidam consolationem, standum est Ecclesiæ judicio, quæ ex longo ac diuturno experimento satis comperit, quid magis expediat. Vera ratio, quare nonnulli etiam catholici vehementer illud desiderium concessionis calicis patefecerunt, partim repetenda est ex illa naturæ nostræ affectione, qua nitimur in vetitum, cupimusque negata; partim ex quadam præconcepta spe facilius revocandi disidentes ad Ecclesiæ unitatem (2). Jam vero si ex factis aliquando concessionibus arguere liceat, an expediat calicem restituere, vix unquam expediet. Eas enim concessionem nullos unquam fructus attulisse patet ex iis, quæ fuse disputat Benedictus XIV (3), qui præterea eos omnes recenset quibus etiam nunc temporis eucharistiam sub utraque specie sumere permittitur. Hinc idem pontifex nobili cuidam matronæ, quæ Luthero ejurato, redierat in gratiam cum catholica Ecclesia, privilegium quod petierat, constanter denegavit, ut in privato domus suæ sacello eucharis-

(1) Bellarminus *de Euch.* lib. iv. cap. 25. postquam pluribus ostendit adversus hæreticos, nullum fructum ad salutem necessariam ex unica sumptione amitti, demum prop. 4. statuit: «Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una.» Quam conclusionem argumentis intrinsecis et extrinsecis solide adstruit. Tamen Alex. Alensis, et Gaspar Casalius eam in dubium revocant, Vasquez vero in 3. p. s. Th. Disp. 215. cap. 2. censet esse probabilius, majorem fructum gratiæ ex utraque specie hujus sacramenti, quam ex altera tantum percipi. Prior sententia verisimilior videtur.

Ceterum accidentalis hic fructus peculiaris, si reipsa daretur, esset prorsus negligendus, cum graves cause suadent calicem non omnibus esse promiscue permittendum. Ea certe constans fuit Ecclesiæ agendi ratio. Sic quamvis certum sit gratiam ex opere operato tum ab eucharistia, tum a confirmatione parvulis conferri, attamen a pluribus sæculis neutrum sacramentum infantibus Ecclesia administrare consuevit, quin propterea adversarii litem Ecclesiæ intendunt. Sed Cf. Bellarm. l. c.

(2) Cujusmodi certe fuit Cassander, qui zeli sui resti abreptus, longius quam par esset progressus est. Quod spectat ad Gersonium, asserere non dubito, eos, qui pro communionem laicorum sub utraque specie ejus auctoritatem adducunt, nunquam hunc tractatum legisse. Acriter siquidem insistit in toto tractatu, ut nulla ratione usus calicis concedatur, invehitur in Bohemos, qui illum expectabant, ostenditque plura incommoda ex ejusmodi concessionem oriri. Cf. ipsum ejus tractatum in opp. edit. Ellics Du-Pin Antwerp. 1706. tom. 1. pag. 438. inscriptum: *Contra hæresim de communionem laicorum sub utraque specie.*

(3) Lib. 2. *De sacrif. Missæ*, cap. 25. n. 17. et seqq.

stiam sub utraque specie recipere posset (1).

Ad 8. *Dist.* Si præter sacramentum nolisset Christus instituire sacrificium, C. si sacrificium insuper instituire intendit, ut inferius ostendemus, N. (2).

Ad 9. *Neg.* Etenim cum Christus sacramentorum dispensationem reliquerit pastoribus Ecclesiæ a se instituta, nullum unquam jus, ideoque neque præscriptionem fideles acquirere potuerunt quovis seculorum decursu. Fideles jus quidem habent ad sacramenta, si legitime ea postulent, non autem ad modum ea percipiendi, quem statuendum, ut vidimus, Christus Ecclesiæ suæ reliquit.

Ad 10. *Esto.* Ex his tamen exceptionibus constat, sumptionem eucharistiæ aut sub una, aut sub duplici specie non spectare ad dogma, sed ad disciplinam. Si res porro disciplinæ est ejusmodi sumendi ratio, jam subest Ecclesiæ regimini, cujus est judicium ferre, utrum expediat necne tali potius modo quam alio communicare. Etiam baptismi collatio per infusionem olim erat exceptio, postea vero Ecclesia, omnibus probantibus, judicavit fidelium utilitati magis expedire, ut ille lege constanti sola infusione administraretur, prout alia pene innumera immutatae disciplinæ exempla pariter evincunt (3).

CAPUT IV. DE EUCHARISTIE NECESSITATE, DISPOSITIONIBUS ET EFFECTIBUS.

Vix superest, qui adhuc propugnet absolutam eucharistiæ necessitatem. Antiquata pariter est impia novatorum doctrina, qui ex præpostero principio de sola fide justificante inferebant, optimam dispositionem ad eucharistiam rite suscipiendam esse gravem peccatorum sarcinam; quamobrem Lutherus scribebat: *Optima dispositio, qua pessime es dispositus* (4), et Calvinus affirmabat, has epulas non prodesse justis (5). Ex eodem principio pariter infere-

(1) *De synodo dioec.* lib. vi. cap. 9. n. 6.

(2) Sic evanescit magna Filareti difficultas. Hic vir nullius fidei, professione quidem schismaticus, at doctrina totus protestans, dum videtur suadere schismatis professionem subditis imperii Russici, ac modis omnibus Catholicos ad schisma transferre, doctrinas interim hæreticas lutheranorum et calvinistarum incautus propinat. Imo, ut ejusmodi hominibus contingere solet, ea docet, quæ ad rationalismum recta perducunt, et ad plenam conscientie libertatem.

(3) Apposite Leibniti *Syst. Theol.* p. 251. et seq. «An autem nunc præstet, inquit, calicem reddi populis, hoc est, annon præponderent rationes, quas tot principes et nationes, allegarunt; id quidem definire non pertinet ad privatos sed ad Ecclesiæ rectores, maxime autem ad summum Pontificem, cui concilium Tridentinum totum hoc negotium reliquit. Interea si forte peccarent Ecclesiæ rectores nimia severitate, ipsorum id periculo foret, neque ad subditos perveniret crimen, quos par est obedire. Nihil autem dubito, de rebus hujusmodi statuere posse eos, qui præsent, iisque parendum potius quam schisma faciendum esse, quod super omnia pene mala grave malum Augustinus ostendit. Ecclesiæ quidem potestas definiendi late porrigitur, ad ea etiam (sed certo modo) quæ juris divini sunt, ut patet ex mutatione sabbati in dominicam diem, permissione sanguinis et suffocati, canone librorum sacrarum, abrogata immersione in baptismum, matrimonique impedimentis, quæ partim ipsi protestantes sola Ecclesiæ auctoritate, quam in aliis sperant, tui sequuntur.»

(4) Apud Bellarm. *de Euch.* lib. iv. cap. 17. n. 1. et seqq. qui plures affert hujus sacrarum emendatoris blasphemias, quas hic referre non vacat.

(5) *Instit.* lib. iv. cap. 17. § 42. «Meminerimus, inquit,

bant novatores, remissionem peccatorum esse primarium hujus sacramenti effectum. Cum vero hujus doctrinæ jam pudeat novatores ipsos, hinc nonnisi leviter hæc argumenta agitabimus.

PROPOSITIO I. — *Nemini actualis eucharistiæ perceptio necessaria est necessitate mediæ, sed solis adultis necessitate præcepti.*

Utraque propositionis pars de fide est, a Tridentina synodo definita; nam sess. XXI, can. IV, statuit: *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiæ communionem, anath. sit;* et sess. XIII, can. IX: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anath. sit* (1).

Sane quod spectat ad primam partem, si actualis dominicæ communionis perceptio omnibus absolute necessaria esset, nemo posset absque ejus actuali perceptione æternam consequi salutem. Constans autem fuit Ecclesiæ doctrina, infantes post susceptum baptismum decedentes æterna frui beatitudine; quippe qui per illud sacramentum fuerint ab originali noxa mundati, et sanctificationem adepti. Exinde factum est, ut postquam abiit in desuetudinem parvulorum communio, nemo reprehenderit disciplinam noviter introductam, quasi hæc esset parvulis pernicioza. Cum olim præterea in particularibus nonnullis ecclesiis obtinuerit lex aut consuetudo denegandi lapsis sacram synaxim etiam in exitu mortis; nemo unquam dubitavit de salute illorum, qui sola absolute rite percepta ex hac vita decessissent, vel illorum, quibus in infirmitate collatum est baptismum, quin ipsis potuerit administrari eucharistia.

Alteram porro propositionis partem, quæ est de necessitate præcepti, qua adulti omnes tenentur eucharistiam sumere, evincunt quoad præceptum divinum aperta Christi verba, Joan., VI, 54: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quoad præceptum ecclesiasticum ostendunt sanctiones, tum concilii Lateranensis IV, in cap. *Omnes utriusque sexus*, etc., tum concilii Tridentini in recitato canone. Ergo.

DIFFICULTATES. *Obj.* 1. Eadem ratione, qua Christus pronuntiavit Joan., VI: *Nisi manducaveritis, etc.*, dixit pariter Joan., III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s. non potest introire in regnum Dei;* et Luc., XIII, 5: *Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* atqui baptismum et penitentiam post lapsum necessaria sunt necessitate mediæ. 2. Rece-

has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem: quæ sanis, justis, et divitibus, si qui reperiri possent, nullum afferent operæ pretium.

(1) Hoc canone concilium declarat ac determinat tempus, quo præceptum divinum est executioni mandandum.

pta proinde fuit in universa Ecclesia antiqua consuetudo, nunquam conferendi baptismum absque eucharistia. 3. Ex hac vero praxi, s. Augustinus argumentum instruit adversus pelagianos, qui parvulis non baptizatis pollicebantur vitam æternam, ut ostenderet hos infantes non solum a regno Dei, verum etiam a vita æterna excludi, quæ promissa fuit eucharisticæ participationi: sic enim Julianum, relata Innocentii I. sententia, perstringit: *Vide, inquit, quid respondeas . . . qui parvulos definiunt, nisi manducaverint carnem filii hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imo ipsi Domino, cujus ille antistes usus est testimonio (Lib. I, cont. Jul., c. 4, n. 13), et alibi passim eadem inculcat. Neque ab Innocentio et Augustino dissentit Gelasius, qui eandem urget necessitatem. Ergo.*

Resp. ad 1. Neg. eadem ratione Christum locutum esse, sive cum de necessitate baptismi, sive cum de necessitate pœnitentiæ et eucharistiæ disseruit. Loquens enim Christus de baptismo, verbis generalissimis usus est, dicens, *Nisi quis, etc.*, quæ profecto omnes prorsus includunt; cum vero de pœnitentiâ et eucharistia sermonem habet, loquitur in secunda persona, *Nisi pœnitentiam habueritis, . . . Nisi manducaveritis*, quibus insinuavit se alloqui presentes, adultos, ideoque præcepti capaces. Quare Ecclesia diverso omnino sensu hæc Christi oracula intellexit.

Ad 2. Dist. Ut perficeretur per eucharistiam, quod in baptismo inceptum ac inchoatum est, C. quasi crederetur, ejusdem necessitatis esse baptismum et eucharistiam, N. Cum enim per baptismum infantes vitam spiritualem adepti fuerint, quæ perficitur et alitur per confirmationem et eucharistiam, consuevit Ecclesia tria illa sacramenta simul conferre. Nunquam tamen sensit singula illa ejusdem esse necessitatis, ut de confirmatione nemo unus dubitat. Accedit quod neque constans fuerit neque universalis consuetudo illa; in casu enim necessitatis, ut suo loco ostendimus, etiam a laicis administrabatur baptismum absque reliquis sacramentis, quæ laici conferre poterant; attamen certissima omnium sententia erat, quod infantes qui ita decessissent, salutem essent æternam assecuti. Hæc omnia complexa est Tridentina synodus, sess. XXI, cap. IV, dum docuit, *Parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem eucharistiæ communionem, siquidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit; ut enim sanctissimi illi patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

Ad 5. Dist. S. Augustinus ex praxi porrigendi eucharistiam infantibus instruit argumentum ad hominem adversus Pelagianos stulte invehentes distinctionem inter regnum Dei et vitam æternam, C.

quasi censuerit eucharistiam Infantibus absolute necessariam esse ad salutem, N. Mens s. doctoris aperte colligitur ex iis, quæ disputavit de prædestinatione, ubi profert exemplum illius infantis qui, ita disponente providentiâ, ablui potuit, et illius qui, festinantibus ministris, baptizari nequivit; ubi in necessitatis casu nihil aliud requirit ad salutem præter baptismum (1). Constat id præterea ex ejus doctrinâ, quæ sæpe inculcat, nihil retardare posse infantem per sacrum lavacrum macula originali ablutum a consecutione salutis, et ex aliis ejus principiis luculentissimis, quæ idem evincunt (2). Quoties igitur urget adversus Pelagianos praxim administrandi eucharistiam infantibus, ut per eam adipiscantur vitam æternam, eam urget ex illorum principiis; etenim si ipsi tandem confitebantur non posse infantes introire in regnum Dei absque baptismo, quia scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit*, debebant, ut sibi coherentes essent, pariter fateri, absque eucharistia, quæ nonnisi post baptismum ipsis administrabatur, non posse habere vitam æternam; cum pariter scriptum sit: *Nisi manducaveritis, etc.*, præsertim cum Ecclesiæ praxis huic administrationi suffragaretur (3).

(1) Cf. lib. II. *Contr. duas epistolas Pelagian.* cap. 6. n. 41; lib. *De Prædest. ss.* cap. 12; lib. *De dono Pers.* cap. 12. n. 51. et alibi sæpe.

(2) Talia sunt 1. cum s. doctor affirmat, omnium peccatorum remissionem conferri per baptismum, ut in lib. *De bapt. et concup.* cap. 23. et alibi. 2. Cum asserit, infantes per baptismum creari in Christo, fieri heredes Dei, et coheredes Christi, ut in lib. *De peccat. merit.* cap. 18. 3. Parvulis in baptismo latenter gratiam infundi, sic ibid. cap. 9. Cum 4. docet, parvulos per baptismum fieri justos et sanctos, ut in lib. *v. Op. imperfecti cont. Jul.* cap. 64. Hæc porro, aliaque ejusmodi principia componi profecto non possunt cum absoluta eucharistiæ necessitate ad habendam vitam æternam. Cf. etiam s. doctorem lib. I. *De origine animæ* cap. 9. et lib. III. cap. 9.

(3) Cf. card. Norisium in *Indicis Augustin.* cap. 4, qui accurate animadvertit, dixisse quidem veteres, non posse infantes sine eucharistia, quæ statim post baptismum conferebatur, habere vitam æternam, seu æternam salutem; at nunquam dixisse, infantes tantum baptizatos ante eucharistiæ sumptionem non habere gratiam Dei et jus ad vitam æternam. Quæ duo permiscenda inter se non sunt. Primum quidem optimum sensum habet juxta ecclesiæ praxim et indolem disputationis, seu controversiæ pelagianæ, cum perinde esset ac affirmare, infantes sine baptismo salvos esse non posse. Alterum vero est aperte falsum, et contrarium veterum menti, ut constat ex dictis. S. Fulgentius in *responsione ad duas epist. Ferrandi diaconi*, quod dictum est a s. Augustino, et reliquis patribus de necessitate eucharistiæ quoad infantes, exponit de participatione spirituali, qualis obtinetur per baptismum, quo infantes Deo conjunguntur fide et charitate. Huic expositioni favet s. Thomas. Esto: eam non respuo. Spectata tamen praxi antiquæ ecclesiæ, ad quam alludunt veteres, præsertim s. Innocentius et Gelasius, summi pontifices, et spectatis apertis s. Augustini testimoniis in quibus loquitur de propinatione sanguinis facta infantibus, non videtur sufficiens ratio eorum, qui mentem veterum ita interpretantur. Satis sit unum afferre s. Augustini testimonium. Sic enim ipse loquitur lib. I. *Op. imperf.* cap. 50. *« Cur ministratur sanguis, qui de similitudine carnis peccati in remissionem lusus est peccatorum, quem bibit parvulus, ut habere possit vitam, si de nullius peccati origine venit in mortem? »* Quæ certe de sola spirituali sumptione explicari non possunt.

Ceterum ex dictis patet, non posse erroris argui s. Augustinum, et cit. rom. pontifices, dum adstruere visi sunt necessitatem eucharistiæ etiam quoad infantes, ut Maldonatus in cap. 6. Joan. v. 34. insinuat, et Petavius, qui inter errores s. Augustini et hunc recenset in lib. unico de *Conc. trid. adversus abbatem* cap. 5. Cf. etiam card. Bona *Rerum liturg.* lib. II. cap. 19. § 1. cum notis Rab. Sala.

Eadem ratione exponi debent s. Innocentius et Gelasius, qui loquebantur coherentem ad disciplinam tunc temporis in Ecclesia vigentem; cum pariter non ignorarent, salvos haberi eos, qui solo baptismo abluti ex hac vita migrassent.

PROPOSITIO II. — *Peccatorum remissio neque est præcipuus, neque unicus sanctissimæ eucharistiæ effectus; nec sola fides est sufficiens præparatio ad sumendum sanctissimæ eucharistiæ sacramentum.*

Ambæ propositionis partes, quæ arcto inter se nexu copulantur, de fide sunt. Etenim Tridentina synodus sess. XIII. can. V. statuit: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum ss. eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anath. sit*; can. vero XI. ejusdem sessionis sanxit: *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum ss. eucharistiæ sacramentum, anath. sit.*

Utraque autem pars sic adstruitur: Apostolus I. Cor. XI. 28. scribit: *Probet autem seipsum homo; et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non didicans corpus Domini* (1). Probationem vero istam non in sola fide consistere, sed in conscientiæ puritate et charitate habituali, præfigurata tum in veste nuptiali Matth. XXII tum in pedum lotione Jo. XIII. patet ex universa traditione, et constanti Ecclesiæ sensu. Primis enim Ecclesiæ seculis pœnitentes nondum reconciliati una cum catechumenis vel ab ipso eucharistiæ conspectu arcebantur (2). Omnia concilia ut eliberitanum can. LXXVII. et LXXIX (3). Ancyranum can. IV. V. et VII. (4). Nicænum can. XI. (*Harduin., Acta conc. t. I., col. 454*), vetant dari eucharistiam peccatoribus, ac pœnitentibus nondum reconciliatis.

Ex Patribus s. Justinus Apol. I. aiebat: *Nemini alii licet esse participem, nisi . . . qui ita vivat ut Christus tradidit* (5). S. Cyprianus epist. X. valde improbat eos, *qui contra evangelii legem . . . ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo, et clero impositam offerre pro illis (lapsis), et eucharistiam dare audeant, cum scriptum sit: qui ederit panem, etc.* (6). S. Joan. Chrysostomus tum alibi, tum Homil. LXXXII. in Matth. *Nullus ergo, inquebat, Judas adsit, nullus avarus. Si quis discipulus non est; recedat: non recipit hæc mensa eos, qui tales non sunt. Cum discipulis, inquit, meis facio pascha* (7) et iterum: *Quanta erge*

(1) Cf. in h. l. Bernard. a Picon. qui aperte ostendit, ita sola conscientiæ puritate verba Apostoli intelligi posse.

(2) Cf. edit. Maur. in not. ad Orat. funeb. s. Ambrosii in morte s. Satyri loc. cit.

(3) Cf. card. de Aguirre in *collect. maxima conc. hisp.* tom. I. comment. in hos can.

(4) Apud Harduin. *Acta conc.* tom. I. col. 275. et seqq.

(5) Οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχέτω τῶν ἱερῶν ἢ . . . ὅστις βούληται ὡς ὁ Χριστὸς παραδοθῆναι.

(6) Tota epistola est de hoc argumento; ac systema protestantium everlit.

(7) Μὴδὲς τοῖνον ἰσθῆς, παρταῖν, μὴδὲς εὐλαγγίης. Ἐὰν τις μὴ καθ' ἑστὴν παραχωρεῖται, οὐδέ γινεται τοῦς μὴ-ποιοῦτος ἡ τράπεζα μετὰ τῶν καθ' ἑστὴν μὲν, ἡστὴν, καὶ τὸ πέρας. Edit. Maur. II. 3.

puritate oporteret eum esse, qui hoc fruitur sacrificio? Quanto radiis solaribus puriorem esse oporteret manum illam, quæ hanc carnem secat, os quod spirituali repletur igne, linguam tremendo sanguine tinctam (1)? Demum, ceteris omissis, s. Augustinus Tract. XXIV. in Joan. *Innocentiam*, scribit, *ad altare apportate. Pœcata, etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis, etc.* (2).

Ratio ipsa, sub qua institutum est hoc sacramentum, satis per se clamat, vivum esse oportere eum qui eo vescitur. Nec enim cibus mortuos alit, aut vivificat: hoc demum visi sunt agnoscere ipsi protestantes, qui recedentes ab absurda majorum suorum doctrinâ, probationem, quæ in conscientiæ discussionem ac peccatorum confessionem consistat, præmittere jam passim consueverunt huic sacramenti perceptioni (3).

Et hæc adversus hæreticos. Institutores theologiæ moralis dispositiones tum corporis tum animæ prærequisitas recensent ad percipiendam uberiori cum fructu sacram synaxim. Circa frequentem communionem pauci theologi in sententiis extreme oppositas prolapsi sunt. Alii oblii reverentiæ Jesu Christo debita in eucharistia, atque unice intenti utilitatibus, quas frequens et vero etiam quotidiana communio producit, id tantum sibi proposuerunt, ut faciliorem redderent ejus participationem, non inculcantes, ut par est, eam præparationem, quam exposulat mysterium adeo augustum. Nimiam hanc opinionem licentiam notarunt romani pontifices; ab Innocentio enim XI. proscripta est hæc propositio: *Frequens confessio, et communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis* (4).

Alii unice occupati in extollenda sacramenti magnitudine ac dignitate, in exponendo infinito intervallo quo divina majestas superat hominis vilitatem, ita sublimes exposcent dispositiones, ut non solum justis, sed neque eximie sanctitatis viri, nisi charitatem il-

(1) Τίνας οὖν οὐκ ἴδμε καθαρότερον ἔχει τῆς ταύτης ἀπολαύοντα τῆς θυσίας; ποῖας ἡλικίας, ἀκλίνοσ τὴν χεῖρα τὴν ταύτην διατίμωσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα τὸ πληροῦμενον τοῦς πνευματικῶν, τὴν γλῶσσαν τὴν φωνοσορῆν ἀίματι ἁμαρτωλοτάτω; Ibid.

(2) N. 11. Ceterum recte animadvertit Bellarminus loc. cit. quod in sententia Lutheri, tum b. Virgo tum apostoli fuissent excommunicati, cum sibi conscii non essent peccati mortalis, ut possent accedere ad sacram synaxim.

(3) Testis hujus praxis lutheranorum est Wegscheider, qui § 176. scribit: « Admittendos autem esse ad cœnam sacram judicat ecclesia (lutherana), quicumque confirmatione (non baptismate, quid porro intelligant protestantes confirmationis nomine alias exposuimus) in societatem christianorum recepti, fide et animo bene preparato (I. Cor. XI. 26) confessi prius peccata, et absoluti ad hoc sacramentum pie celebrandum accesserint. » Subdit vero in not. (c): « Confessione et absolutioni private temporis successu plurimis in ecclesiis lutheranis publica vel addita vel substituta est. » Qui tamen § 180. h. n. 5. hortatur suos ad societatem facilius cum calvinistis ineundam « ut sacra cœna ad pristinam simplicitatem et cœremoniam, rejecta simul, quæ illam præcedere solet, confessione privata, reducatur. » Addit ibid. præterea « Cavendum est ecclesiarum antistitibus, ne forte ex illa utriusque partis pietostantium consociatione jura pastoralia detrimenti aliquid capiant, ideoque curandum, ut pecunia pro auditione confessionis peccatorum et absolutione lucusque lutheranæ ecclesiæ ministris persoluta, aliis modis iisque liberalioribus ac magis decoris resarciatur. »

(4) Est n. 36. an. 1679. Cf. Viva op. cit.

lani ac robur heroicum primitivæ Ecclesiæ exaquent, cœlesti pane, etiam in paschate se recreare valeant. Summis insuper laudibus extollunt nonnulli liturgicam communionem, quam fieri cupiunt in sola parochiali ecclesia, in qua unum sit altare, ac nolunt asservari consecratas particulas, nisi propter infirmos, aliamve gravem necessitatem; amantque ciboria in alto loco collocata, ut modis omnibus difficiliorem reddant angelici panis sumptionem; et quasi ista non sufficerent, fraudulentis vocibus apud historiæ ecclesiasticæ imperitos beatissima illa prædicant tempora, quibus, juxta ipsos, fideles non nisi rarissime communicabant.

Quemadmodum porro Innocentius XI. nimis liberas hac in re confixit propositiones, ita Alexander VIII. duas nimis rigidas damnavit, quarum altera quæ est n. XXII. ita se habet: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam præterdant, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint.* Altera est n. XXIII. *Similiter arceri debent a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expertus* (1).

Ceterum, utrum præstet ut fideles sæpe ad communionem accedant, an potius ut ab ea absterneant, non potest generatim definiri. Hoc enim huic quæstioni commune est, ut recte admonet Petavius (2), cum omnibus aliis quæstionibus, quæ practicæ dicuntur, et quæ cum pendeant ex variis circumstantiis temporum, locorum, hominum, conditionum, munerum, dignitatum, aliisque, non possunt universali enuntiatione dirimi, sed sunt in partes dividendæ, ita ut singulis partibus singillatim expensis plene satisfiat. Duo tamen certa sunt: primo, optasse semper Ecclesiam, ut fideles sæpe accederent ad sacramentum tam salutare infirmitatibus eorum quotidianis, secundo, nemini illud subduxisse unquam qui animum afferret a peccati contagione, quantum imbecillitas humana pateretur, diligenter purgatum (3). Quamobrem res tota in prudentia ministrorum posita semper fuit, ut declaravit Innocentius XI (4).

DIFFICULTATES. *Obj.* Eucharistiæ proprium effectum esse remissionem peccatorum tum ipsa Ecclesiæ litur-

(1) Cf. Viva in has propositt. Op. cit.

(2) *De Penitentia* lib. II. cap. 3. § 1.

(3) Cf. Petavius in octo libris de Penitentia, quos opposuit pestilentissimo operi Arnaldi, inscripto: *De frequentii communione.*

(4) In decreto *Cum ad aures* circa communionem quotidianam, apud Viva *Dannat. Thesium*, etc. in appendice ad prop. LVI. damnatam ab Intoc. XI.

gia, tum patres omnes passim apertissime tradunt. Ecclesia enim ita in sua liturgia orare consuevit: *Hæc nos communio purget a crimine... Sit abiutio scelerum*; s. Joan. Chrysostomus scribit: *Hocremedio (sacramento) omnis morbus extinguitur* (1). s. Ambrosius: *Accedite, inquit, ad eum, et absolvimini, quia remissio peccatorum est* (2). Hæc autem doctrina Christi verbis innixa est, qui Matth. XXVI. 28. dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; et Joan. VI. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ergo.

Resp. Dist. Ant. Eucharistiæ effectus proprius est remissio peccatorum, quoad pœnam, C. quoad culpam *subd.* est remissio venialium, C. lethalium saltem per se et immediate, N. Etenim eucharistia quatenus est sacrificium propitiatorium, ut inferius ostendimus, vim habet dimittendi peccatum quoad pœnam, leviam autem etiam quoad culpam, qui effectus eucharistiæ etiam prout sacramentum est, pariter tribui solet (3). Ast si sermo sit de culpis gravibus, certum est eucharistiam, etiam quatenus est sacrificium, ipsas non nisi mediate delere, impetrando nimirum gratias ac dispositiones necessarias ad earum detestationem, uti suo loco explanabimus. Quo multiplici sensu adducti textus, alique ejusmodi intelligi debent, prout semper eos intellexit Ecclesia, ut allata documenta apertissimam fidem faciunt. Hinc *Ne tantum sacramentum indigne, atque adeo in mortem, et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta synodus (Tridentina) illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, aut etiam publice disputando defendere præsumperit, eo ipso excommunicatus existat* (sess. XIII. can. XI).

Et hæc de eucharistia, prout sacramentum est. De ejus enim materia, forma et ministro commodius agemus in altera tractatus parte, quæ de eadem eucharistia est, quatenus est sacrificium.

(1) *Ἡσαν νόσον σβλασι δυνίσονται τούτο.* Hom. IV. in Matth. n. 9.

(2) Serm. XVIII. in Ps. CXVIII. n. 28.

(3) Utrum vero præter peccata venialia sacramentum eucharistiæ remittat etiam peccata mortalia *per accidens*, ut dicitur, disputant theologi, alii affirmant, alii vero negant. Cf. Vasquez in 3. p. s. Th. disp. CCV. cap. 3. et 4.

PARS POSTERIOR, DE SACRIFICIO.

Sacrificii vox, quæ est a sacro faciendo, tum impropria seu latiori significatione usurpari solet, tum significatione propria et stricte sumpta. Priori sensu quivis religionis actus, sive interior sive exterior, Dei causa susceptus ipsique gratus, sacrificium vocatur; qua significatione virtutum officia in ipsis sacris

litteris dicuntur sacrificium laudis, hostiæ spirituales, sacrificium spiritus contribulati. Posteriori sensu, qui est proprius et theologicus, sacrificium vulgo definiri solet: *Oblatio rei sensibilis soli Deo facta per legitimum ministrum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominatum, quæ ritu mystico consecratur, et im-*

mutatur. His postremis verbis aiunt qui hanc tradunt definitionem, poni discrimen, quod intercedit inter oblationem, quæ nullam exigit mutationem et sacrificium, quod mutationem rei quæ offertur exposcit, e. g., effusionem sanguinis, si res sit animata, vel partium divisionem, vel ignis ustionem, si sit inanimata.

Hæc tamen definitio non omnibus theologis aridet, tum ex eo quod nonnulla contineat quæ ad essentialiam sacrificii non requiruntur (1); tum etiam ex eo, quod formalem rationem sacrificii, ut vocant, non satis patefaciat (2); tum denique ex eo quod postrema definitionis conditio, quæ est de immutatione victimæ, seu rei oblatæ non videatur in sacrificio missæ verificari, ideoque ipsam definitionem non posse sacrificio incruento aptari.

Quare Vasquezius, his difficultatibus permotus, aliam subiecit definitionem, quæ illas declinet, et faciliorem sternat viam ad veritatem sacrificii nostri vindicandam adversus protestantes. Ipse igitur generatim observat, rationem formalem sacrificii positam esse in significatione omnipotentis Dei auctoris vitæ et mortis (Vasquez, in 3. p. s. Thom., Disp. CCXXII, cap. 8), ex quo inferi rei oblatæ immutationem non esse de ratione formali sacrificii. Juxta hanc notionem ipse definit sacrificium hoc modo: *Sacrificium est nota existens in re, qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis* (3).

Quo posito fundamento, duplex distinguit sacrificium, alterum absolutum, alterum relativum, seu commemorativum. Absolutum illud dicitur, quod tale per se est absque relatione ad alterum nec est alterius commemoratio, veluti mactatio pecudis, vel alterius rei consumptio; relativum vero seu commemorativum illud vocatur, quod tale tantum est ob relationem, quam habet ad alterum, ejus commemorationem seu representationem continet, cujusmodi est sacrificium missæ, quod refertur ad sacrificium crucis, ejus commemorationem imo et representationem præ se fert per duarum specierum consecrationem seu mysticam immolationem (4).

In sacrificio absoluto ex parte materiæ necessario requiritur rei immutatio, ut idem prosequitur; non

(1) Sic e. g. quod dicitur de legitimo ministro, non videtur ad essentialiam sacrificii pertinere, eo quod in lege nature, antequam vel a Deo ipso, vel a societate aliqui destinarentur ad sacrificium offerendum, licitum esset unicuique Deum hoc cultus genere honorare; hinc quamvis Abel non esset primogenitus, Deo tamen obtulit sacrificium: id ipsum dicendum de illis, qui seorsim singuli viverent. Deinde observant isti theologi, totam hanc definitionem posse aptari solemnium thurificationem, quæ etiam consistit in oblatione rei sensibilis ad colendum Deum ordinata, quæ fit a legitimo ministro, et quæ destruitur et immutatur. Nemo tamen dicit thurificationem esse sacrificium proprie dictum.

(2) Nam si ratio formalis sacrificii consisteret in profertenda submissione Deo debita et cultu latrice exhibendo, non differret, aiunt, ratio formalis sacrificii ab adoratione, in qua fides actus erga Deum exercentur, eo magis, quod Deo submissionem et adorationem tam per sacrificium, quam per simplicem oblationem testari possimus. Sed Cf. Vasquez in 3. P. s. Th. Disp. CCXX. cap. 3.

(3) Disp. CCXXI. cap. 5. In hac definitione habetur ratio formalis sacrificii.

(4) Ibid. Disp. CCXX. cap. 3. et Disp. CCXXII. cap. 8.

item vero in sacrificio relativo, seu commemorativo. Ad hujus enim commemorativi sacrificii rationem sufficit immutatio, quæ in absoluto sacrificio præcessit: nam commemorativum sacrificium ad absolutum refertur, illudque exhibet atque commemorat. Si quidem cum ratio sacrificii in significatione omnipotentis Dei auctoris vitæ et mortis formaliter posita sit, si detur oblatio aliqua, per quam absque rei oblatæ immutatione vera et reali Deus auctor vitæ et mortis denotari et coli possit, vere et proprie sacrificium illa dici debet. Sic ut et eidem exemplo sacrificii missæ inhæreamus, per distinctam utriusque speciei consecrationem Christus ipse præsens sistitur absque reali sui immutatione, attamen ut victima. Per hanc enim hostiæ veluti immolatæ præsentiam Deus ut vitæ et mortis auctor colitur; in quo vera sacrificii ratio, uti innuimus, consistit. Enimvero hac mystica immolatione Christus illud idem exhibet sacrificium, quod reali sanguinis effusione in cruce consummavit.

Accurate autem animadvertit idem auctor, ad constituendum veri nominis sacrificium, etiamsi commemorativum illud fuerit, non sufficere simplex signum rei oblatæ, sed insuper rem ipsam requiri. Si enim signum tantommodo adesset, non sacrificium haberetur, sed sacrificii imago. Hinc in sacramentarium hypothesi Christus vere se ipse immolatum non exhiberet, sed immolationis in cruce olim peractæ figuram tantum nobis reliquisset; adeoque verum non haberetur sacrificium (1).

Ita doctus theologus. Nos minime contendimus hanc unicam viam esse ad veritatem sacrificii nostri adstruendam, sed hoc unum dicimus eam nobis videri commodiorem ad propositum finem obtinendum, sive quia tollit præcipuam difficultatem, qua eadem veritas impugnatur, sive quia patrum effata optime cum ea conciliantur, sive demum quia protestantes, ea semel constituta, nihil amplius habent, quo a doctrina catholica circa hunc articulum admittenda retrahantur (2). Duo siquidem tantum in hac sententia requiruntur et sufficiunt, ut adstruatur veritas sacrificii missæ, realis scilicet Christi præsentia in eucharistia, quam superius constituimus; et representatio sacrificii crucis, quam nec ipsi adversarii inficiari possunt inesse in eucharistiæ celebratione. Tantum porro abest, ut exposita doctrina fidei nostræ aliqua ratione adversetur, ut non pauci theologi in concilio Tridentino eam proposuerint ad constabillendam catholicam veritatem hujus sacrificii (3).

Et hæc quoad notionem sacrificii; quod attinet ad ejus divisionem, multiplex est. Siquidem 1. ratione temporis alia sacrificia dicta sunt *legis naturæ*, alia *legis scriptæ*, 2. ratione materiæ quæ offerebatur, alia dicebantur *hostiæ* vel *victimæ*; alia *immolationes*, alia

(1) Ibid. Disp. CCXXII. cap. 8. n. 66.

(2) Hinc merito Veronius in *regula fidei* cap. 2. § 14. exposita doctrina Vasquezii subdit: « Quid facilius creditu sacrificio vero et proprio, solum tamen commemorativo non absoluto sic explicato? »

(3) Cf. Pallavicini *istoria del concilio di Trento*, lib. XVIII. cap. 2.